Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XVI.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

cingentibus; Prorege cum cohorte, omniq; nobilitate & civitate universa prosequente, tanta funalium ac luminum copia, ut urbs ardere videretur; tam insolita omnium ordinum lætitia plausuque, ut non funus, sed triumphum videre te crederes. Loculus quippe aurea fulgebat veste. Totum iter erat frondibus floribusque conspersum: tectorum fenestræ parietesque veste pretiosa ornati: inuta multa passim ab utroque latere odoramenta disposita. Feretri porro latera thuribulis argenteis cincta perpetuis odoribus complebantur. Hoc igitur triumphali funere Franciscus è Sinarum expeditione rediens Goam in Societatis templum invehitur: ut intelligeres, cujusmodi tandem honore insigniendus animus esset in cœlo, cujus corpus exanimum, propter animi sanctitatem in terris quodam modo triumpharet.

Ad eius corpus visendum maximi concursus fiunt.

Cap. XVI.

Ubi ad Societatis ædem ventum est, Missæ sacrificium solemni ritu ac ceremonia decantatum. Feretrum intra cancellos adversus impetum multitudinis constitutum. Fama exierat sub sacrum, area patefacta, fore omnibus corporis visendi copiam. Quocirca ingruente multitudine septa haud difficulter perfracta ruunt: sed clausam aream nihil magis, quam multitudo semet impediens, tutabatur. Ibi collegij Rector avidæ plebis impetum veritus, petere vehementer etiam atque etiam à Prorege, ut cum universa nobilitate reciperet se; plebem

Concursus incredibilis ad Xaverij corpus

plebem utique comm͞u exemplum secuturam:
ipsos deinde lanatos satellite turbaque semo
ta, complodiur corpus Xaverij conspecturos.
Igitur Prorex illi morem gerens discessit. cum
cuncta nobilitas sequitur. At caeteri obfirma
to animo haerere in vestigio, instare, flagitare,
et ostenderetur, se nisi voti compotes, haud-
quaquam inde vestigium moturos. Denium
perseverantia impetum obtinuit. Cum enim mo
ra nihil proficeret, Melchior ad ultimum ces
sit tempori. Itaque submota paulisper
multitudine, septisque restitutis atque obfirmatis,
Xaverij corpus amictu sacerdotali, ut delatu
erat, eminus ostentatur. Quod conspicata mul
titudo tanto cominus visendi desiderio exar-
sit, ut ingenti impetu ruens, iterum sacelli
perrumperet septa. Proinde repentinus
factum metus. ad eum arcendam: loculum con
festim operiunt, obstinatique terit. Ergo praecisa
inspiciendi spe, et expectatione defatigati,
qui proximi steterant, Xaveriique integrum
conspexerant corpus, aliquando recesserunt:
& quod ipsi viderant, caeteris enarrarunt.
Et illi hac commemoratione accensi, obstinatio
ne quadam animi usque eo institerunt, dum,
cancellis demum objectis. ipsis quoque mon
straretur. Eodem ipso die sub vesperam Anto
nius Pereira Lusitanus, cum muneribus ac literis
Regis Burgensis ad Proregem Indiae, appulit
Goam. Is Regis missu venerat, Xaverij voti
cum in Japoniam scriò iam curaturus. Epistolae
regiae summa haec fuit: Franciscum Xaverium
.

sæpius apud se de nobili cultore ac vindice
Dei verba fecisse, et eius verba hæsisse in viscer-
ibus suis medullisque. Itaque certum jam sibi
ac deliberatum esse, Christi sacris initiari Fran-
cisci manu, vel cum periculo decidendi regno.
Franciscum quidem in discessu promisisse,
breui se ad eum, si vita suppeteret, reditu-
rum: sed quoniam illius reditus spe tardior
foret, placuisse certum hominem Goam
mittere, qui exploratam renunciaret causam
tam longæ moræ. Proinde orare velle Prore-
gem, ut Xauerium primo quoque tempore
ad se destinaret. Eius utique aduentum in
gentis simul inuitamentum religionis Chris-
tianæ, simul sanciendæ amicitiæ vinculum
fore. Prorex igitur, regijs literis recitatis,
Melchiorem Nunnium (qui is unus è primori-
bus Societatis IESV erat in India) haud
ægrè perpulit, ut ipse pro Xauerio ad Bun-
gi Regem iret, re maturaret. Interim Xauerij
corpus Goæ non spectando solum, sed etiam
mirando erat. Cæterum non explebatur viden-
di sitis videndo, sed excitabatur magis. Ita
ijdem reuisendi gratia sæpius redibant,
noua etiam in horas multitudo visendi
causa confluebat in templum. Ergo necessitas
consilium mutauit. Vt infinitæ multitudinis
cupiditati satisfieret, corpus in sacello, validis
cancellis præsepto, triduum totum omnium ocu-
lis expositum fuit; potestas ut esset omnibus
per otium contemplandi. Tum verò incredibi-
liter unde conuersis facti dicentium Xauerium,

coronisque

coronisque cingentium, magna vi lacrymarum
sensus pietatis. Inter haec quorundam dubi
tatio rem non certiorem modo, verum etiam in
signiorem fecit. Quoniam rei miraculum excede-
bat fidem, non defuerant aliquot nobilitate
viri graves, qui Franciscum exemptis intestinis
curatum, balsaminoque oleo conditum esse pro
palam dictitarent. Ergo Prorex, rem explora
turus, Cosmum Saracinam, inter medicos artis
eximiae, tentare atque inspicere corpus jubet.
At ille ventrem secare aggressus, cum animad-
vertisset recentem adhuc manare sanguinem,
miraculo attonitus incepto destitit. Insertis
deinde in vulnus digitis, integra ac solida in
testina comperit, nullo balsami oleive indicio.
Idque iuratus publico testimonio confirmavit.
Quocirca re perspecta, atque vulgata, non ma
gis caeteri, quam illi quos dixi Xaverii corpus
celebrare venerarique coeperunt, pro se quisque
pedes eius osculantes, manibusque rosariis con
tingentes. Tanta autem insederat animis om
nium de Xaverii sanctitate opinio, ut certatim
aliquid ex eius corpore aut vestimento surripere
conarentur. Atque interdum ad praecavendum Patrum
cura aegre valuit piam arcere vim populi. Inter
haec passim Franciscus laudibus ferebatur, egre-
giaque eius facta, vaticinationes, miracula ab iis,
qui aut ipsi viderant, expertique erant, aut ex
idoneis cognoverant auctoribus, memorabantur;
India universa velut uno ore Xaverii sancti
tatem celebrante. Et vetera miracula novis
affirmata sunt. Complures eorum, qui ad spe-

Proregis iussu medicus eius corporis integritatem explorat.

Malacam confluxerant, iurati confirmarunt ac-
cessisse ad certos homines partim membris
captos aut debilitatos, partim varijs morbis
laborantes; tactoque Francisci corpore, abijsse
sanos ac valentes. Exacto triduo, etsi nondum
expletis oculis animisque multitudinis, area
propter aram maximam ad dexteram in sepul-
chro, per eos dies parato, ad tempus condita
est, dum pro dignitate talis viri, Patrisque suae
alijs, ac Goanorum religione, monumentum ei
satis exornaretur; et Rex Lusitaniae, ut speraret
eum in numerum caelestium referendum a Pontifi-
ce curasset. Decimo circiter post sepulturam
Episcopi Vicarius rem coram explorat. die, D. Antonius Ribera, Goani Episcopi vi-
carius, et Inquisitor generalis, pro suo mu-
nere atque officio, suis ipse oculis explorare
decrevit, verane de Francisci integritate fama
emanasset. Igitur aperto circa meridiem se-
pulcro, multis collucentibus facibus omne
pertentavit perspexitque corpus. Cumque nihil
non integrum reperisset, suum testimonium
consignatum literis ad posteros tradidit. Interim
Xaverij veneratio cultusque crescebat in dies.
Adeo sepulchrum plerique venerabundi audere:
multi flores et coronas afferre: non pauci
candelas adhibere cereos, qui perpetuo lu-
cerent. Et hominum studia Deus approbavit.
Satis constat, cereum cubitalem inibi accensum
totos duodeviginti dies noctesque perpetuo arsis-
se. Deum quoque honorem famulo suo ha-
Rex Lusitaniae commissum in Sanctorum numero reponendum curat. bere sentires. Rex porro Lusitaniae his nuncijs
commotus, cum egregia Xaverij facta atque mi-
racula

racula per Indiae Proregem conquisita per-
scribi sedulò iussisset, ea Romam ad Legatum
suum, misit, ut ageret cum Pontifice de Fran-
cisco Xauerio in Sanctos reponendo. Caeterùm
pios optimi Regis conatus intempestiua occupa-
uit mors. Pater igitur, nouo templo absoluto,
ac ueteri disturbato, Xauerij loculum in do-
mesticum transtulerunt sacellum: ubi hodie
eius memoriae ac nomini priuatim honos ha-
betur; donec per Pontific: Max /: si Deo uidi-
erit. :/ publ. solenemque haberi honorem liceat

Horatij Tursellini
De uita Francisci Xauerij
Liber Sextus

Francisci facta ac miracula Lusitani
Regis imperio perscribuntur

Cap. I.

Etsi diuina dona ac munera, quibus Fran-
ciscus cumulatus fuit, in omnibus eius uitae
partibus, quas demonstrauimus, identidem emi-
cuerunt: tamen non erit abs re, quae cursim
et obscurè significata sunt, propalam oculisque
contemplanda proponere; ut explicatis rerū
generibus, uno in conspectu omnia liceat intueri.
Atque ut primum exponamus ea, quae uel
ipsa plus admirationis habent, atque in se
aequos iniquosque conuerterunt :/ non solùm in
toto uitae cursu, sed multo etiam magis in ipso
funere permulta Francisco contigere diuinitus
quae nulla naturalis causa miraculo eximere
queat. Ea nos igitur diuina iudicia ac testimo-
nia eius sanctitatis diligentiùs persequemur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg